

- V. Et ne nos inducas intentionem.  
 R. Sed libera nos à malo.  
 V. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.  
 R. Ec salutare tuum da nobis.  
 V. Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.  
 R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.  
 V. Non permittas Domine in agris istis Angelum  
percutientem introire.  
 R. Neque animal noxium, quod non facias exire.  
 V. Domine exaudi orationem meam.  
 R. Et clamor meus ad te veniat.  
 V. Dominus vobiscum.  
 R. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

**T**E Domine Deus noster humiliter depræcamur, ut  
hos agros, (*vineas, hortos, seu arbores, &c.*) & fru-  
ctus eorum serenis oculis, hilarique vulnu respicere dig-  
neris: tuamque cœlestem super eos mittas benedictio-  
nem, cuius virtute careant omni immunditia, liberen-  
tur à noxiis animalibus: non in eis resideat spiritus pesti-  
lens: non volucres comedentes, non vermes, nec eru-  
cæ corrodentes, non mures destruentes, non aera cor-  
rumpens, non bruchus, aut tinea demoliens, non locu-  
sta mordens, non ventus urens, non grando conterens,  
non tempestas conturbans, non calor siccans, neque ziza-  
nia perturbans.

*Oremus.*

*Oremus.*

**O**nnipotens æterne Deus, te supplices exoramus: ut meritis sacratissimæ Passionis Jesu Christi Domini nostri, & intercessione Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum deprecatione, nos, & agros nostros cum fructibus suis, à locustis, & animalibus omnibus noxiis liberare digneris. Per eundem Christum Dominum nostrum, &c.

*Oremus.*

**E**xaudi nos Deus salutaris noster, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cœlis, qui expellendo à terra nostra locustas, bruchos, & mures, ducat eos in desertum, ubi nemini nocere possint, & agros istos (*vineas, hortos, & arbores*) custodiat, atque ab omni malo defendat. Per Christum Dominum nostrum, &c.

Benedi  etio Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super agros istos, & super fructus eorum, & Angelus Dei bonus custodiat eos. Amen.

*Oratio propria super aquas infectas.*

**D**omine Jesu Christe, qui Jordanis flumen benedixisti, & in eodem baptizatus aquas mundasti, ut elementum salubre efficerentur in remissionem peccatorum: has quoque aquas benedicere, sanctificare, & purificare digneris: ut nihil in iis noxium, nihil pestilens remaneat, nihil inficiens, aut corruptiens; sed munda Oo ij omnia

*Exorcismus contra quæcumque animalia;*  
 omnia efficiantur, & salubria: quatenus quæ ad usum  
 humanum ex iis, vel in iis creata sunt, cum promotione  
 gloriæ tuæ, vitæque nostræ, & sanitatis sumantur: Qui  
 vivis, & regnas, &c.

*Deinde asperget ut suprà aqua benedicta, & possunt etiam  
 binc inde pmi, & infigi palmæ benedictæ ab Ecclesia.*

## BENEDICTIO NOVÆ ECCLESIAE.

*Leo X. concessit Generalibus, Provincialibus, ac Custodi-  
 bus, nec non & Guardianis nostri Ordinis, ut omnia, & sin-  
 gula ejusdem Ordinis, & observantiæ Ecclesiæ, Cæmeteria, Ca-  
 pitula, & Oratoria ubicumque existentia, tam recepta, quam  
 recipienda, ac etiam ornamenta, & paramenta, & alia quæcum-  
 que ad Divinum cultum, & usum Fratrum necessaria, in quibus  
 Chrisma non interveniret, solemini benedictione valeant benedice-  
 re. Et voluit, quid hoc possint alii Fratres ejusdem Ordinis, qui  
 ad hoc in Capitulis Generalibus deputati fuerint.*

### *De Ritibus, & Cæremoniis observandis in benedi- ctione novæ Ecclesiaz.*

*In primis paretur mensa extra Ecclesiam, circa portam prin-  
 cipalem, super quam ponetur Manuale, dum dicuntur due pri-  
 maæ Orationes, & Prælatus indutus amictu, alba, stola, &  
 Pluviali*

Pluviali albi coloris, cum Diacono, & Subdiacono, Dalmatis indutis ejusdem coloris, stant extra portam Ecclesiae, quæ clausa debet esse, cum Cruce erecta, & duobus Acolythis cum cœreis accensis, & postquam benedixerit aquam, ut scilicet in diebus Dominicis, & habetur supra fol. 217. dicat sequentem Orationem, posito Manuali super mensam, junctis manibus ante pectus, & in tono Orationis Missæ ferialis.

Oremus.

**A**ctiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amé.

Deinde inchoat Antiphonam Asperges me Domine, &c. ut suprà fol. 1. & Fratres alternatim dicant Psalmum Misere-re mei Deus, &c. Interim circumdant exterius Ecclesiam (quæ intus debet esse vacua, & nuda, & pariter Altaria nuda, exclu-so populo, donec absoluta sit benedictio) & Sacerdos accepto aspergillo ex herba hyssopi, ad ejus dexteram se convertens, parie-tes Ecclesiae in superiori parte, & in fundamentis, cum aqua benedicta aspergit, dicens: Asperges me Domine hyssopo, &c. Reversi ad locum unde Processio initium habuit, repetita Antiphona à Fratribus, Sacerdos stans, ut prius, versus Eccle-siam, dicit Oremus, & Ministri: Flectamus genua. R. Le-vate.

**D**omine Deus, qui licet cœlo, & terra non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, ubi no-men tuum jugiter invocetur: locum hunc, quæsumus, beatæ

beatæ Mariæ semper Virginis, & beati N. omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, sereno pietatis tuæ intuitu visita, & per infusionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumque conserva; & qui dilecti tui David devotionem in filii sui Salomonis opere complevisti, in hoc opere desideria nostra perficere digneris; effugiantque omnes hinc nequitiae spirituales. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

*Qui finita Oratione, omnes bini in Ecclesiam intrantes, ad Altare majus procedunt, Litanias decantantes. Ubi dictum fuit Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos, surgit Sacerdos, & intelligibili voce dicit :*

*Ut hanc Ecclesiam, & Altare ad honorem tuum, & nomen sancti tui N. purgare, & bene ✕ dicere digneris, Te rogamus audi nos. Cum dicit, benedicere, manu dextra benedit Ecclesiam, & Altare; deinde ut prius genuflectit, donec perficiantur Litaniæ; & Cantores prosequuntur:*

*Ut nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.*

*Fili Dei, Te rogamus audi nos.*

*Agnus Dei, &c.*

*Dicto ultimo Kyrie eleison, Sacerdos stans dicit: Oremus.  
Ministri: Flectamus genua. R. Levate.*

*Præveniat nos, quæsumus Domine, misericordia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum, &c.*

*Tunc distans ab Altari congruenti spatio genuflexus, & se signans.*

*signans*, dicit: Deus in adjutorium meum intende, & statim surgit, Fratres respondent: Domine ad adjuvandum me festina, ipse vero stans, dicit: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, Chorus respondet: Sicut erat in principio, &c. Postea Sacerdos dicit: Oremus, & Ministri: Flectamus genua. Rx. Levate.

Omnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam praeter ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine dignè, perfectèque ab eis agitur, a te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quidquid modò visitaturi sumus, visites; & quidquid benedicturi sumus, bene dicas: sitque ad nostræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingressus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

*His dictis, inchoat Antiphonam:*

B




E- ne- dic Domine domum i stam

B



no mi ni tu- o x- di- fi- catam.

B



Sæ cu lo rum. A- men.

Cum

Cum tribus Psalmis sequentibus, videlicet Psalmus 119. Ad Dominum cum tribularer clamavi. Psalmus 120. Levavi oculos meos in montes, &c. ut in Officio Defunctorum, & Psalmus 121. Laetatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: fol. 101. Postea repetitur Aña. Benedic Domine, &c.

Interim aspergit interius parietes in parte superiori, & inferiori, inchoans aspersiōnem à parte Euangelii, dicens : Asperges me Domine, &c. tunc ad Altare reversus, dicit: Oremus. Flectamus genua. Levate.

Deus, qui loca nomini tuo dicanda sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam, ut ab omnibus hic nomen tuum invocantibus, auxilium tuæ misericordiæ sentiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

His peractis, dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de S. Ecclesia verò, quamvis à Sacerdote, ut supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est.

## O R D O Ad reconciliandam Ecclesiam.

Ecclesia consecrata cum polluitur, ab Episcopo loci, sive ab alio ex licentia proprii, reconciliatur. Ecclesia, quæ non est consecrata, sed solum benedicta, cum polluitur, vel sanguinis, vel s̄eminis effusione, à Sacerdote quolibet reconciliatur, cum aqua ab ipso benedicta. Hanc opinionem tenet Navarrus in Manuali cap.

cap. 27. num. 251. §. de Ecclesia polluta. Silvester vero, Consecratio 2. §. 8. & hauc similiter recepit Manuale Toletanum, titulo de reconciliatione Ecclesiæ.

### De Cæremoniis in reconcilianda Ecclesia.

*Altare Ecclesiæ omnino nudetur, provideaturque ut Ecclesia possit libenter circumiri tam exterius, quam interius, si fieri potest. Paretur vasculum cum aqua benedicta, & aspergillum de herba hyssopo factum. Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, stola, & Pluviali albo cum Ministris, assistentibus Fratribus, procedunt ad primariam Ecclesiæ portam: ubi stans, Antiphonam incipit, dicens, Asperges me, prosequente Choro Domine hyssopo, & mundabor; lavabis me, & Iuper nivem dealbabor. Psalmus Miserere mei Deus, totus cum Gloria Patri. Quo finito, Aña repetitur. Interim dum Aña, & Psalmus dicantur, Sacerdos cum aqua benedicta aspergit in circuitu extri insecus Ecclesiam, & Cæmeterium, simul aspergendo alternatim ad parietes Ecclesiæ, ad terram Cæmeterii, præsertim ad leca contaminata. Quo facto, redit ad locum, ubi incepit aspergere, & stans dicit:*

### Oremus.

**O**Mnipotens, & misericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ ceteris gratiam contulisti, ut quidquid in tuo nomine digne, perfectèque ab eis agitur, à te fieri credatur: quæsumus immensam clementiam tuam, ut quod modo visitaturi sumus, visites; & quidquid benedicturi sumus, bene dicas: sitque ad nos etiam humilitatis

litatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dœmonum, Angeli pacis ingressus. Per Christum Dominum nostrum, &c.

*Deinde Sacerdos incipit Litanias, & ingreditur Ecclesiam cum Fratribus cantando eas; acceditque ante Altare majus, coram quo genuflectit: cùmque dictum fuerit; Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi nos. Sacerdos surgit, & clara voce dicit:*

*Ut hanc Ecclesiam, & Altare hoc, ad Cæmeterium purgare, & recon  $\text{X}$  ciliare digneris, Te rogamus audi nos, &c. Quibus dictis, rursus genuflectit, & Litaniæ perficiuntur. Quibus finitis, Sacerdos versus ad dictum Altare, dicit: Oremus, & Ministri, Flectamus genua. Rx. Levate.*

*Præveniat nos, quæsumus Dñe, misericordia tua: & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Christum Dominum nostrum, &c.*

*Deinde Sacerdos genuflectit ante Altare, & se signo Crucis muniens, clara voce dicit, Deus in adjutorium meum intende, tunc surgit, & Chorus, seu astantes Fratres respondent: Domine ad adjuvandum me festina, & Sacerdos stans dicit, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Rx. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.*

*Quo dicto, Sacerdos inchoat sequentem Anam, & Fratres prosequuntur. Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum à facie ejus.*

Psalterus 67.

**I**N Ecclesiis benedicite Deo Domino : \* de fcntibus  
Israel. *Repetitur Aña.*

Ibi Benjamin adolescentulus: \* in mentis excessu. *Re-*  
*petitur Aña.*

Principes Juda , duces eorum : \* Principes Zabulon,  
Principes Nephthali. *Repetitur Aña.*

Manda Deus virtuti tuæ: \* confirma hoc Deus, quod  
operatus es in nobis. *Repetitur Aña.*

A templo sancto tuo in Jerusalem : \* tibi offerent re-  
ges munera. *Repetitur Aña.*

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vac-  
cis populorum : \* ut excludant eos , qui probati sunt ar-  
gento. *Repetitur Aña.*

Dissipa Gentes , quæ bella volunt : venient legati ex  
Ægypto : \* Æthiopia præveniet manus ejus Deo. *Repe-*  
*titur Aña.*

Regna terræ , cantate Deo : \* psallite Domino. *Repe-*  
*titur Aña.*

Psallite Deo , qui ascendit super cœlum cœli : \* ad O-  
rientem. *Repetitur Aña.*

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis,dare gloriam Deo  
super Israel : \* magnificentia ejus, & virtus ejus in nubi-  
bus. *Repetitur Aña.*

Mirabilis Deus in Sanctis suis , Deus Israel ipse dabit  
virtutem , & fortitudinem plebi suæ : \* benedictus Deus.

*Et non dicitur Gloria Patri , sed Antiphona repetitur.*

rim dum Aña, & Psalmi prædicti dicuntur, Sacerdos circuit Ecclesiam intrinsecus aspergendo: aspergit etiam specialiter loca contaminata: quo factō, stans in Presbyterio versus ad Altare dicit:

**D**eus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens, & benignus purificator assistis: exaudi nos, quæsumus, & concede; ut in posterum inviolabilis hujus loci permaneat benedictio; & tui munericis beneficia, universitas fidelium, quæ supplicat, percipere mereatur. Per Christum Dominum nostrum, &c.

*Deinde dicitur Missa de die occurrenti.*

Simplex Sacerdos, tantum ex privilegio Sedis Apostolicæ, potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare.

## R I T U S Benedidendi novum Cæmeterium.

Pridie quam fiat benedictio, ponitur in medio Cæmeterio benedicendo ligneta Crux, alta ad staturam hominis, & ante ipsam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum unum, aptus ad effigendum illi tres candelas. Sequenti die manè Sacerdos in Sacristia paratus amictu, alba, cingulo, stola, & Pluviali albi coloris, adhibitis Fratribus cum tribus Acolythis indutis superpelliceis, qui deferant vasculum aquæ benedictæ, aspergillum, & thuribulum cum incensi navicula, & hoc Manuali libro, & tribus candelis cereis, præcedit ad Cæmeterium benedi-

benedicendum ante Crucem in medio positam, & affiguntur, & accenduntur tres candelæ super ligneum paxillum, & Sacerdos ante Crucem, & candelas, dicit :

Oremus.

**O**Mnipotens Deus, qui es custos animarum, tutela salutis, fides credentium, respice propitius ad nostræ servitutis officium, & ad introitum nostrum purgetur, **X** benedicatur, & sancti **X** facetur hoc Cæmeterium, ut humana corpora hic post vitæ cursum quiescentia in magno judicii die simul cum felicibus animabus mereantur adipisci vitæ perennis gaudia. Per Christum Dominum nostrum, &c.

Mox ante ipsam Crucem omnes genibus flexis dicunt Litaniæ ordinarias, incipiente Cantore, cæteris respondentibus: & cum dictum fuerit, Ut omnibus fidelibus defunctis, &c. Sacerdos surgit, & clara voce dicit, producens manu signum Crucis:

Ut hoc Cæmeterium purgare, & bene **X** dicere digneris, Te rogamus, &c.

Deinde Sacerdos, ut prius, genuflectit, & Litaniæ perficiuntur. Quibus finitis, surgunt omnes, & Sacerdos Crucem aspergit aqua benedicta, dicens Añam: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. Miserere mei Deus, &c. dicitur totus ab astantibus cum Gloria Patri, &c. quo dicto, repetitur Aña. Dum dicitur Psalmus, Sacerdos circuit, & perambulat totum Cæmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aqua benedicta; quo facto,redit ante Crucem, & ad ipsam respiciens, dicit:

Oremus.

*Oremus.*

**D**eus, qui es totius orbis conditor, & humani generis Redemptor, cunctarumque creaturarum visibilium, & invisibilium perfectus dispositor, te supplici voce, ac puro corde exposcimus, ut hoc Cæmeterium, in quo famulorum, famularumque tuarum corpora quiescere debent post curricula hujus vitæ labentia, purgare, bene dicere, & sancti ficare digneris: qui que remissionem omnium peccatorum per tuam magnam misericordiam in te confidentibus præstitisti, corporibus quoque eorum in hoc Cæmeterio quiescentibus, & tubam primi Archangeli expectantibus, consolationem perpetuam largiter impartire. Per Christum Dominum nostrum, &c.

Tunc figit in summitate Crucis unam ex tribus candelis ardentibus, & alias duas similiter ardentes in duobus brachiis ejusdem Crucis. Deinde incensat ipsam Crucem, & aspergens aqua benedicta, redit cum Ministris in Sacristiam.

**O R D O**

**R**econciliandi Cæmeterium violatum, siue Ecclesiæ contiguum sit, sive separatum, ubi Ecclesia non est polluta.

Mine diei, qua facienda est reconciliatio, Sacerdos cum Fratribus congregatis in Sacristia, aut alio decenti loco vestitus amictu,

mitu, alba, cingulo, stola, & Pluviali albi coloris, accedit ad medium Cæmeterii, Acolytho vasculum aquæ benedictæ, & aspergillum deferente, & ibi super tapete genuflectit una cum Ministris: & Cantores, aliquique omnes genibus flexis, dicunt Litanias, in quibus cum dictum fuerit, Ut omnibus fidelibus defunctis, &c. Sacerdos surgit, & manu dextra producens signum Crucis super Cæmeterium, clara voce dicit:

Ut hoc Cæmeterium recon*†* ciliare, & sancti*†* facere digneris, &c.

Quibus dictis, ut prius genuflectit, Cantoribus Litanias perficiuntibus. Quibus finitis, surgunt omnes, & Sacerdos accepto aspergillo cum aqua benedicta inchoat Anam, Asperges me Domine hyssopo, Fratribus prosequentibus, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. Psalmus Miserere mei Deus, &c. dicitur totus sine Gloria Patri, in fine repetitur An, Asperges, &c.

Dum hæc dicuntur, Sacerdos circuit totum Cæmeterium, incipiens ad ejus dexteram, aspergens ubique aqua benedicta, præsertim in loco ubi violatio commissa est. Quo peracto, redit ad locum ubi Litanie dictæ fuerunt, & ibi stans dicit: Oremus. & Ministri: Flectamus genua. Levate.

**D**omine pie, qui agrum figuli pretio sanguinis tui in sepulturam peregrinorum comparari voluisti; quæsumus, dignanter reminiscere clementissimi hujus mysterii tui. Tu es enim Domine figulus noster; tu quietis nostræ ager, tu agri hujus pretium. Tu dedisti etiam, & suscepisti. Tu de pretio tui vivifici sanguinis nos requiescere donasti. Tu ergo Domine, qui es offensionis nostre

nostræ clementissimus indultor, expectantissimus judicator, judicij tui superabundantissimus miserator, judicium tuæ justissimæ severitatis abscondens post miserationem tuæ piæ redēptionis, adesto exauditor, & effector nostræ reconciliationis; hocque Cæmeterium peregrinorum tuorum cœlestis patriæ incolatum expectantium, benignus purifica, & reconcilia; & h̄ic tumulatum, & tumulandorum corpora, de potentia, & pietate tuæ resurrectionis ad gloriam incorruptionis non damnans, sed glorificans resuscita. Qui venturus es judicare vivos, & mortuos, & s̄eculum per ignem. R. Amen.

## BENEDICTIO SACERDOTALIUM indumentorum in genere, sive in specie, ex Missali recognito.

*Hec benedictio etiam deservit pro indumentis in singulari, eo quod Missale recognitum Clementis VIII. nullam aliam benedictionem ponit, præter sequentem: & licet in Manualibus antiquis nostri Ordinis quædam benedictiones pro singulis indumentis ponantur, non eis utendum est, sed tantummodo benedictione sequenti.*

**V.** Adjutorium nostrum, &c. Dominus vobiscum.

Oremus.

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum Pontificalia, & Sacerdotalia, Ieu Levitica vestimenta, ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum, ad honorem, & decorem nominis tui fieri

fieri decrevisti : adesto propitius invocationibus nostris : & hæc indumenta Sacerdotalia, desuper irrigante gratia tua , ingenti benedictione per nostræ humilitatis servitium purifi X care , bene X dicere , & con X secrare digneris : ut divinis cultibus , & sacris mysteriis apta , & benedicta existant : his quoque sacris vestibus Pontifices , & Sacerdotes, seu Levitæ tui induti , ab omnibus impulsionebus, seu temptationibus mali gnorum spirituum muniti , & defesi esse mereantur: tuisque mysteriis aptè, & condignè servire, & inhærere, atque in his tibi placitè, & devotè perseverare tribue. Per Christum Dominum nostrum , &c.

*Oremus.*

**D**eus, invictæ virtutis triumphator , & omnium rerum creator , ac sanctificator : intende propitius preces nostras : & hæc indumenta Leviticæ , Sacerdotalis , & Pontificalis gloriæ, ministris tuis fruenda tuo ore proprio bene X dicere , sancti X ficare , & conse X crare digneris : omnesque eis utentes , tuis mysteriis aptos , & tibi in eis devotè, ac laudabiliter servientes , gratos efficeremus digneris. Per Christum Dominum nostrum , &c.

*Oremus.*

**D**omine Deus omnipotens , qui vestimenta Pontificibus , Sacerdotibus , & Levitis in usum tabernaculi fœderis necessaria Moysen famulum tuum agere jussisti , eumque spiritu sapientiæ ad id peragendum replevisti:

plevisti : hæc vestimenta in usum , & cultum mysterii tui  
bene ✕ dicere, sancti ✕ sificare, & conse ✕ crare digneris:  
atque ministros Altaris tui , qui ea induerint, septiformis  
spiritus gratia dignanter repleri, atque castitatis stola,  
beata facias cum bonorum fructu operem ministerii con-  
gruentis immortalitate vestiri. Per Christum Dominum  
noscum , &c.

*Benedictio Mapparum, sive linteraminum Altaris.*

**V.** Adjutorium nostrum, &c. Dominus vobiscum.

*Oremus.*

**E**xaudi Domine preces nostras , & hæc linteramina  
sacri Altaris usui præparata bene ✕ dicere, & sancti ✕ sificare digneris. Per Christum Dominum nostrum,  
&c.

*Oremus.*

**D**omine Deus omnipotens , qui Moysen famulum  
tuum , ornamenta , & linteramina facere per qua-  
draginta dies docuisti , quæ etiam Maria texuit , & fecit  
in usum ministerii , & tabernaculi foederis: bene ✕ dice-  
re , sancti ✕ sificare , & conse ✕ crare digneris hæc lintera-  
mina ad tegendum , involvendumque Altare gloriosissi-  
mi Filii tui Domini nostri Iesu Christi: Qui tecum vivit,  
& regnat in unitate Spiritus sancti Deus , per omnia sæ-  
cula sæculorum. **R.** Amen.

*Benedi-*

Benedictio Corporalium.

V. Adjutorium nostrum, &c. Dominus vobiscum.

Oremus.

Clementissime Domine, cuius inenarrabilis est virtus, cuius mysteria arcanis mirabilibus celebrantur: tribue quæsumus, ut hoc lnteamen tuæ propitiationis bene dictione sanctificetur ad consecrandum super illud Corpus, & Sanguinem Dei, & Domini nostri Iesu Christi Filii tui: Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum, &c.

Oremus.

Omnipotens semperne Deus, bene dicere, sanctificare, & consecrare digneris lnteamen istud ad tegendum, involvendumque Corpus, & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi Filii tui: Qui tecum vivit, & regnat, &c.

Oremus.

Omnipotens Deus, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde: ut per nostram bene dictiōnem hoc lnteamen sanctificetur: & Corporis, & Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium, Spiritus sancti gratia efficiatur. Per eundem Dominum nostrum, &c. in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, &c.

Qq ij

Benedictio

*Benedictio Vasculi pro sacro sancta Eucharistia conservanda.*

V. Adjutorium nostrum, &c. Dominus vobiscum.

*Oremus.*

**O**nipotens semperne Deus, majestatem tuam supplices deprecamur, ut Vasculum hoc pro Corpore filii tui Domini nostri Iesu Christi in eo condendo fabricatum, benedi  $\text{X}$  ictionis tuae gratia dicare digneris. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

*Benedictio novae Crucis.*

V. Adjutorium nostrum, &c. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.

*Oremus.*

**R**ogamus te, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: ut digneris bene  $\text{X}$  dicere hoc signum Crucis tuae, ut sit remedium salutare generi humano; sit soliditas fidei, profectus bonorum operum, redemptio animarum, sit solamen, & protectio, ac tutela contra sæva jacula inimicorum. Per Christum Dominum nostrum, &c.

Gdij

Alia

*vel aliis facultatem habentibus facienda.*

309.

*Alia Oratio ad idem.*

**B**ene ✕ dic Domine Jesu Christe hanc Crucem tuā,  
per quam eripuisti mūdum à potestate dæmonum,  
& luperasti passione tua suggestorem peccati, qui gaude-  
bat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti sum-  
ptionem. *Hic aspergat aqua benedicta.* Sanctificetur hoc si-  
gnum Crucis in nomine Patris, ✕ & Filii, ✕ & Spi-  
ritus ✕ sancti, ut orantes, inclinantesque se propter Do-  
minum ante istam Crucem, inveniant corporis, & ani-  
mæ sanitatem. Per Christum Dominum nostrum, &c.

*Postea Sacerdos genuflexus ante Crucem, de votè adorat, &  
osculatur, & idem faciunt quicumque voluerint.*

**B E N E D I C T I O**  
Imaginum Jesu Christi Domini nostri,  
B. V. Mariæ, & aliorum Sanctorum.

**V.** Adjutorium nostrum, &c. Dominus vobiscum.

*Oremus.*

**O**mnipotens sempiterne Deus, qui Sanctorum tuo-  
rum imagines (*sive effigies*) sculpi, aut pingi non  
reprobas, ut quoties illas oculis corporeis intuemur, to-  
ties eorum actus, & sanctitatem ad imitandum membrorū  
oculis meditemur: hanc quæsumus imaginem (*seu scul-  
pturam*)

pturam) in honorem, & memoriam ( Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, vel Beatissimæ Virginis Mariæ, Matris Domini nostri Jesu Christi, vel beati N. Apostoli tui, vel Martyris, vel Confessoris, aut Pontificis, aut Virginis, &c.) adaptatam benedi  cere, & sanctificare digneris: & præsta, ut quicumque coram illa ( Unigenitum Filium tuum, vel Beatissimam Virginem; vel gloriosum Apostolum, sive Martyrem, sive Confessorem, aut Virginem) suppliciter colere, & honorare studuerit, illius meritis, & obtentu à te gratiam in præsentि, & æternam gloriam obtineat in futurum. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

**FINIS, LAUS DEO.**



**IN-**



# INDEX RERUM,

Quæ in hoc directorio primæ partis  
continentur , ordine Alphabetico  
digestus.

## A.

- |   |         |
|---|---------|
| <b>A</b> Sperges me ,                               | Pag. 1. |
| Adoratio Crucis Feria Sexta in Parasceve ,          | 61.     |
| Antiphona S. P. N. Francisci , Salve Sancte Pater , | 119.    |
| Antiphona S. Claræ , Salve Sponsa Dei ,             | 126.    |
| Antiphona , & Oratio S. Rocchi ,                    | 161.    |
| Antiphona , & Oratio S. Sebastiani Martyris ,       | 163.    |

## B.

- |                                 |     |
|---------------------------------|-----|
| <b>B</b> enedictio Candelarum , |     |
| Benedictio Cinerum ,            | 4.  |
|                                 | 13. |
| Bene-                           |     |

Benedictio Palmarum ,	18.
Baptismus parvulorum ,	177.
Baptismus adulorum ,	185.
Ordo supplendi omissa super baptizatum,	205.
Benedictio fontis Baptismalis ,	207.
Benedictio aquæ ordinaria ,	218.
Benedictio aquæ cum Reliquiis Sanctorum pro infirmis ,	221.
Benedictio Custodiæ ,	222.
Benedictio Archivi Reliquiarum Sanctorum ,	222.
Benedictio Candelarum extra diem Purificationis B. Mariæ Virginis ,	224.
Benedictio Thuribuli ,	224.
Benedictio in communi ad alia vasa Ecclesiæ ,	225.
Benedictio Loci ,	225.
Benedictio Domus novæ ,	226.
Benedictio Thalami ,	227.
Benedictio Cymbæ , seu novæ Naviculæ ,	227.
Benedictio novæ Navis ,	228.
Benedictio Agni in Pascha ,	237.
Benedictio Ovorum ,	237.
Benedictio Panis ,	237.
Benedictio Panis pro infirmis ,	238.
Benedictio aquæ pro ijsdem ,	238.
Benedictio Lactis , & Mellis ,	239.
Benedictio Tritici , vel Farinæ , vel leguminum ,	239.
Benedictio novorum fructuum ,	241.
Benedictio ad quodcumque comestibile ,	241.
Bene-	

I N D E X.

313

- Benedictio Infirmorum cum Reliquiis Sanctorum, 241.  
 Benedictio S. P. N. Dominici ad Infimos, 245.  
 Benedictio, & Oratio Sancti Petri de Alcantara, 246.  
 Benedictio Infirmorum cum oleo lampadæ aliquo  
     cujus Sancti, 247.  
 Benedictio ad quemcumque cibum, potum, vel  
     medecinam, 251.  
 Benedictio Mulieris post partum, 251.  
 Benedictio Rosarii, 253.  
 Benedictio Coronæ, 254.  
 Benedictio Rosarum Sanctissimi Rosarii, 255.  
 Benedictio ad herbas in festivitatibus S. Joannis  
     Baptistæ, vel Divi Laurentii, 256.  
 Benedictio Annuli, 257.  
 Benedictio Cilicij, 259.  
 Benedictio Habituum Defunctorum, 259.  
 Benedictio Cymbali, 260.  
 Benedictio Vexilli bellici, 260.  
 Benedictio Indumenti, 261.  
 Benedictio ad initium alicujus boni operis, 262.  
 Benedictio salis, quæ datur animalibus, 277.  
 Benedictio novæ Ecclesiæ, 292.  
 Benedictio novi Cæmeterii, 300.  
 Benedictio Sacerdotalium Indumentorum, 304.  
 Benedictio Mapparum, sive linteumini Altaris, 306.  
 Benedictio Corporalium, 307.  
 Benedictio Vasculi pro Sacrosancta Eucharistia  
     conservanda, 308.

Rr

Benedi-

- Benedictio novæ Crucis, 308.  
 Benedictio Imaginum Iesu Christi Domini nostri,  
 B. Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum, 309.

## C

- C**onfessio in Cœmunione Missæ Feriæ Quintæ in Cœna Domini quomodo cantanda, 47.  
 Communio Missæ Feriæ Quintæ in Cœna Dñi, 49.  
 Cæmeterium violatum, ritus illud reconciliandi, 302.

## D.

- D**ominica Palmarum, 18.

## E.

- E**cce lignum Crucis, 61.  
 Exorcismus contra imminentem tempestatem fulgurum, & grandinis, 262.  
 Exorcismus ad domos, & loca, quæ patiuntur contagium pestis, 272.  
 Exorcismus contra lumbricos in nomine S. Antonii de Padua, 278.  
 Exorcismus ad homines, & ad pecora morsa ab animalibus rabidis, & venenosis, 280.  
 Exorcismus contra quæcumque animalia, vermes, mures, serpentes, & agros, 285.  
 Ecclesia, ritus ad illam reconciliandam, 296.  
 Feria

## F.

- F**eria quarta Cinerum, 13.  
Feria sexta in Parasceve, 57.

## H.

- H**ymnus *Vexilla Regis prodeunt*, 71.  
Hymni, & Oratio Divinissimi Sacramenti, 93.  
Hymni, & Antiphona B. Mariæ Virginis, 115.  
Hymni, & Antiphona S. P. N. Francisci, 118.  
Hymnus, & Antiphona S. Antonii, 122.  
Hymnus, & Antiphona S. Claræ, 125.  
Hymnus, & Antiphona Sanctorum Apostolorum, 128.  
Hymnus, & Antiphona unius Martyris, 129.  
Hymnus, & Antiphona plurimorum Martyrum, 130.  
Hymnus, & Antiphonæ Confessorum Pontificum,  
& non Pontificum, 133.  
Hymnus, & Antiphonæ Sanctorum Virginum  
Martyrum, & non Martyrum, 137.  
Hymnus, & Antiphona Martyris tantum, & nec  
Virginis, nec Martyris, 139.

## L.

- L**itaniæ, & preces Quadraginta horarum, 83.  
Litaniæ Generales, 140.

Rrij

Lamen-

- Lamentationes quomodo cantandæ , 39.  
 Lectiones quomodo cantandæ , 41.

**M.**

- Mandatum in Cœna Domini , 51.  
 Matrimonium, ritus illud celebrandi , 211.

**O.**

- O** Ratio Jeremiæ Prophetæ, 43.

**P.**

- P**rocessio in die Purificationis V. Mariæ , 7.  
 Processio in Dominica Palmarum , 24.  
 Passiones quomodo cantandæ , 33.  
 Processio Feriæ Quintæ in Cœna Domini, 50.  
 Processio Feriæ sextæ in Parasceve , 70.  
 Processio secunda in Feria sexta Parasceve , 72.  
 Processio in die Resurrectionis Domini , 79.  
 Processio Divinissimi Sacramenti , 93.  
 Processio ad petendam pluviam , 152.  
 Processio ad postulandam serenitatem , 154.  
 Processio tempore mortalitatis , & pestis , 159.  
 Processio in quacumque tribulacione , 169.  
 Processio, vel quæcumque actio gratiarum , 175.  
 Preces ad repellendam tempestatem , 156.  
 Preces

# I N D E X.


Preces dicendæ tempore penuriæ, & famis;	317
Preces dicendæ tempore belli,	158.
Preces in ægritudine Regis, vel Reginæ,	164.
Preces faciendæ in partu Reginæ,	172.
	174.

# T.

Tractus in Feria sexta Parasceve,	57.
Tractus secundus post Lectionem,	59.
Te Deum laudamus,	104.

# V.

Vi Idi aquam,	3.
---------------	----



# MANUALE SERAPHICUM, ET ROMANUM, Ad ultum præcipuè Fratrum Minorum, ac Monialium ejusdem Ordinis, in alma Provincia Algarbiorum S. P. N. FRANCISCI.

Includens omnia pertinentia ad receptionem habitus Noviciorum, tam Fratrō,  
quam Monialium, nec non Ritus ad Exequias Defunctorū, &c.

## PARS SECUNDA.

PER

Fr. EMMANUELEM  
A' CONCEPTIONE,  
Divi Francisci Xabreguensi Vicarium Chori Jubilatum.



ULYSSIPONE OCCIDENTALI,  
Ex Typographia MUSICÆ. 1732.

*Cum facultate Superiorum.*

МАНИАЛ  
МИДАМОЯ ТЕ, МАНИС  
СЕКАНИС

ПАРДЕСУНДА

Е. ЕММАНИДЕЛ  
А. ГОМБРЕТИНЕ



УЛЯСИОНЕ ОГИДЕРТАЛ  
Е. Т. А. Д. М. Н. С. К. Т. 1825.



# DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

## ABSOLUTIONIS FORMA.

*Cum igitur pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius,  
& ab eo acceptata salutari pœnitentia, primò dicit:*

**M**isereatur tui omnipotens Deus, & dimissis pec-  
catis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

*Deinde dextera versus pœnitentem elevata, dicit :*

**I**ndulgentiam, absolutionem, & remissionem pecca-  
torum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors  
Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat: & ego au-  
thoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommu-  
nicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum pos-  
sum, & tu indiges. Deinde ego te absolvo à peccatis tuis,  
in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

*Si pœnitens sit laicus, omittitur verbum, Suspensionis.*

**P**assio Domini nostri Jesu Christi, merita beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

*In confessionibus autem frequentioribus, & brevioribus omitti potest Misereatur, &c. satis erit dicere: Dominus noster Jesus Christus, &c. ut suprà usque ad illud: Passio Domini nostri, &c.*

*Urgente verò aliqua gravi necessitate in periculo mortis, brevitè dicere poterit: Ego te abservo ab omnibus censuris, & peccatis, in nomine Patris, † & Filii, & Spiritus sancti. Amen.*

## DE ABSOLUTIONE Ab Excōmunicatione in foro exteriori.

*Pœnitentem coram se, utroque genu flexo, in humero ( si vir fuerit) usque ad camisiam exclusivè denudato, virga, aut funiculis sedens leviter percutit, dicendo totum Psalmum Misericordie mei Deus, &c. cum Gloria Patri, &c. Deinde surgit, & dicit:*

**Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.**

**Pater noster, &c.**

**¶. Et ne nos inducas in temptationem.**

**Bz. Sed libera nos à malo.**

**¶. Salvum**

- ¶. Salvum (am) fac servum tuum (ancillam tuam)  
Domine.
- R. Deus meus sperantem in te.
- ¶. Nihil proficiat inimicus in eo (a)
- R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
- ¶. Esto ei Domine turris fortitudinis.
- R. A facie inimici.
- ¶. Domine exaudi orationem meam.
- R. Et clamor meus ad te veniat.
- ¶. Dominus vobiscum.
- R. Et cum spiritu tuo.

## Oremus.

**D**eus, cui proprium est misereri semper, & parcerre, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem (ut hanc famulam tuam, quam) excommunicationis sententja constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Mox sedet, & dicit:

**D**ominus noster Jesus Christus te absolvat: & ego auctoritate ipsius, & sanctissimi Domini nostri Papæ (vel Reverendissimi Episcopi N. vel talis superioris) mihi commissa, abservo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi (vel incurrisse declaratus es propter tale factum, vel causam, &c.) & restituo te communioni, & unitati fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ, in nomine

mine Patris, † & Filii, & Spiritus sancti.

Quod si Sacerdoti nulla sit à superiore præscripta forma, nec sibi mandatum, ut in forma Ecclesiæ cōmuni, vel consueta absolvat; tunc nihilominus pro rei gravitate prædictam Cæremoniam, & Preces adhibeat: at verò si res non fuerit adeò gravis, absolvere poterit, dicens:

Dominus noster Jesus Christus te absolvat: & ego auctoritate ipsius, & sanctissimi Domini nostri Papæ, (si à Papa fuerit delegatus) (vel Reverendissimi Episcopi N. vel talis superioris) mihi concessa, absolvō te, &c. ut suprà.

In foro autem interiori Confessarius habens facultatem absolvendi excommunicatum, absolvat juxta formam communem supra præscriptam in absolutione Sacramentali, &c.

## RITUS ABSOLVENDI

### Excommunicatum jam mortuum.

Si quis excommunicatus ex hac vita decebens dederit signum contritionis, ne Ecclesiastica careat sepultura, sed Ecclesiæ suffragiis, quatenus fieri potest, adjuvetur, absolvi potest hoc modo.

Si corpus mundum sepultum fuerit, verberetur, & absolvatur, ut infrà, deinde absolutum, in loco sacro sepeliatur. Si verò fuerit sepultum in loco profano, si commodè fieri poterit, exhumabitur, & eodem modo verberabitur, & post absolutionem, in loco sacro sepelietur: sed si commodè exhumari non potest, locus sepulturæ verberetur, posteà absolvatur. Quod si in loco sacro sic sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulchrum.

Dùm

Dùm autem corpus, sive sepulturam verberat, Sacerdos dicat Antiph. Exultabunt Domino ossa humiliata. Psalm. Misere-  
rere mei Deus, &c. Quo factō, absolvatur dicendo: Autho-  
ritate mihi concessa, ego te absolvo à vinculo excom-  
municationis, quam incurristi ( vel incurrisse declaratus es  
propter tale factum,) & restituo te communioni fidelium, in  
nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Deinde dicatur Psalm. De profundis. in fine, Requiem æ-  
ternam dona ei Domine. Et lux perpetua luceat ei.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

V. Et ne nos inducas in temptationem.

R. Sed libera nos à malo.

V. A porta inferi.

R. Erue Domine animam ejus.

V. Requiescat in pace.

R. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

**D**A quæsumus, Domine, animæ famuli tui, quem  
excommunicationis sententia constrinxerat, re-  
frigerii sedem, quietis beatitudinem, & superni luminis  
claritatem. Per Christum Dominum nostrum. Et. Amé.

# DE MODO ABSOLVENDI

A suspensione , vel ab Interdicto extra,  
vel intra Sacramentalē Confessionē.

*Si Sacerdoti sit commissa facultas absolvendi aliquem à suspen-  
sione, vel interdicto, quamvis nulla verba sint præcipue determi-  
nata, uti poterit hac formula.*

*Pœnitens dicat : Confiteor Deo, &c. Sacerdos: Miserear-  
tur tui , &c. Indulgentiam , &c.*

*Authoritate mihi ab N. tradita , ego absolvo te à vin-  
culo suspensionis ( vel interdicti ) quam ( vel quod ) prop-  
ter tale factum ( vel causam ) incurristi ( seu incurrisse declara-  
tus es ) in nomine Patris, ✕ & Filii, & Spiritus sancti.  
Amen.*

*Si verò Confessario, sive in foro conscientiæ, sive extra, data  
est potestas dispensandi super irregularitate, tunc postquam ab-  
solverit à peccatis , addat consequenter :*

*Et eadem autoritate dispenso tecum super irregulari-  
tate ( vel irregularitatibus , si sunt plures ) in quam ( vel in  
quas ) ob talem causam, ( vel tales causas , eas exprimendo ) in-  
curristi , & habilem reddo , & restituo te executioni Or-  
dinum , & officiorum tuorum , in nomine Patris, ✕ &  
Filii , & Spiritus sancti. Amen.*

*Si nullum habet Ordinem , dicatur : Habilem reddo te ad  
omnes Ordines suscipiendos , vel etiam ad alia , juxta te-  
norem mandati.*

*Quod*

Quod si neceſſe ſit titulum Beneficii reſtituere, & fructus male  
perceptos condonare, ſubjugat :

Et reſtituo tibi titulum (ſeu titulos) Beneficii (ſeu Be-  
neſtiorum) & condono tibi fructus male perceptos. In  
nomine Patris, + & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Advertat autem Sacerdos, nè ullo modo in iis facultatis ſue  
terminos excedat.

## A B S O L U T I O

Pro Apostatis, ſeu pro manuum violenta-  
rum impositionibus in personis Eccle-  
ſiaſticis.

Congregatis capitulariter Fratribus, & in praefentia omnium  
adductus apostata, & cognita coram Prælato, cæterisque Fra-  
tribus culpa ſua, petitaque à Prælato venia, atque pœnitentia,  
ſurgant omnes Fratres; ſtantesque dicant Psalm. Miserere mei  
Deus, cum Gloria Patri, &c. interim flagelletur apostata, &  
ad quemlibet verſum ſaltem unum infligatur flagellum. Finito  
Pſalmo, dicitur :

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

Pater noster, &c.

¶. Et ne nos inducas in temptationem.

¶. Sed libera nos à malo.

¶. Salvum (os) fac ſervum (os) tuum (os) Domine.

¶. Deus meus ſperantem (es) in te.

**V.** Esto ei (is) Domine turris fortitudinis.

**R.** A facie inimici.

**V.** Domine exaudi orationem meam.

**R.** Et clamor meus ad te veniat.

**V.** Dominus vobiscum.

**R.** Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

**D**eus, cui proprium est misereri semper, & parcer, suscipe deprecationem nostram: ut hunc famulum tuum, quem (vel ut hos famulos tuos, quos) sententia excommunicationis ligat, miteratio tuae pietatis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

*Postea dicat:*

**A**uthoritate Domini nostri Iesu Christi, & beatorum Apostolorum ejus Petri, & Pauli, & auctoritate Sanctae Romanæ Ecclesiæ, & privilegiorum nostro Ordini concessorum, & mihi in hac parte commissa, ego te (vos) abservo ab isto vinculo excommunicationis, quo teneris, & quo ligaris (vel quo tenemini, & quo ligamini) per apostasiam (vel per impositionem manuum violentarum) & restituo te (vos) sanctis Sacrementis Ecclesiæ, & communioni fidelium. In nomine Patris, **+** & Filii, & Spiritus sancti. **R.** Amen.

**ABSOLU-**

## A B S O L U T I O

Danda Religiosis, Monialibus, & Tertiæ Ordinis Fratribus sancti Patris nostri Francisci de licentia Prælatorum suorum, quater in quibuscunque anni diebus, quos elegerint.

*Forma absolutionis.*

*Facta confessione, Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c.*

**D**ominus noster Jesus Christus, qui te redemit, ipse te absolvat, & ego auctoritate Apostolica mihi in hac parte commissa, & tibi concessa absolvo te in primis ab omni sententia excommunicationis majoris, seu minoris, interdicti, & suspensionis, si forte incurristi, & restituo te unitati fidelium, & Sanctis Sacramentis Ecclesiæ. Deinde eadem auctoritate Apostolica ego te absolvo à peccatis tuis plenissimè, sicut Dominus noster Papa faceret, si peccata tua auscultaret, & restituo te statui innocentiae, in quo eras quando baptizatus (a) fuisti. Concedo tibi Papalem benedictionem cum aliis Indulgentiis tam intra, quam extra Ordinem, quatenus extendi potest ista Apostolica auctoritas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

AUTHORITAS CONCESSA  
PER SS. PAPAM PAULUM III.

Generali, Abbatibus, Prioribus, & Præsidentibus Ordinis Sancti Benedicti Vallisoletti absolvendi perpetuò subditos suos, tam absentes, quam præsentes, in prima Feria secunda Quadragesimæ ab omnibus peccatis, sententiis excommunicationis, censuris, & poenitentias, quibus quomodolibet fuerint innodati; etiam si reservatis Sedi Apostolicæ, (exceptis in Bulla Cœnæ contentis) & dispensandi in omnibus irregularitatibus quomodo cumque contractis; & per communicationem cæteris Prælatis Regularibus concessit. Bulla incipit *Nos igitur*, ut videri potest apud Fr. Emmanuelem Rodericum, P. Portel, & P. Fr. Felicem Potestatis.

*Forma abolutionis.*

**A**uthoritate mihi tradita, & ex officio meo, ac eo modo, quo melius possum, dispenso vobiscum super residuum poenitentiae, si maior erit vobis imponenda: & volo ut omnia bona, quæ feceritis, & mala, quæ perpessi fueritis propter Deum, & opera meritoria, velut poenitentia imposta, ad remissionem poenæ debitæ pro vestris peccatis, pro quibus etiam satisfiat ex meritis Passionis Christi, & omnium Sanctorum.

*Facta Confessione, & dictis: Misereatur, & Indulgentiā, &c.*

**D**ominus noster Iesu Christus, qui est verus, & Summus Pontifex, & pro vobis natus, & passus eit, ipse vos absolvat, & ego auctoritate ipsius, & beatorum Apostolorum ejus Petri, & Pauli, & sanctæ Romanae Ecclesiæ, ac potestate mihi commissa, & vobis pro hac vice concessa à Domino Papa, cuius vices in hac parte gero, vos absolvo ab omni tententia generali, vel speciali à jure, vel ab homine promulgata, & ab alio quo-cunque vinculo excommunicationis, & dispenso vobis-cum super quibuscumque irregularitatibus, ex quibus-cunque causis eas contraxistis, & in his omnibus, & alijs, quibus indigeatis, restituo vos ad statum pristinum, in quo eratis antequam hujusmodi incurreretis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Item eadem auctoritate ego vos absolvo plenariè ab omnibus peccatis vestris specialiter, aut generaliter confessis, cum circumstantiis eorum quomodo cunque offendistis Deum Creatorem vestrum, animas vestras, & vestrum proximum, & Regulam nostram; & de omnibus ipsis auctoritate supradicta, & ex speciali gratia vo-bis concessa, & mihi commissa à Domino Papa, conce-do vobis Indulgentiam plenariam omnium poenarum in præsenti vita, vel in Purgatorio pro peccatis vestris de-bitarum, in quantum possum, & valeo, & auctoritas vobis concessa, & mihi commissa se extendere potest. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

# DE SACRAMENTO Eucharistiae.

*Ad communicandum infirmum.*

In primis pulsetur cymbalam, & congregentur Fratres in sacro apoditerio; & Sacerdos primum lotis manibus, indutus amictu, albi, stola, & pluviali albi coloris. Deinde accedit ad Altare, genuflectit, & incensat Sacramentum in Sacrario, more solito, surgit, & accipit Calicem, sive Pyxidem, in qua ponit hostiam sacram, quam ægrotus ostensurus est, simulque unam particulam, aut plures, juxta numerum infirmorum, & teget velo serico. Hic facto, procedant processionaliter, hec modo: præcedit Acolythus deferens Crucem inter alios duos cum cereis accensis: deinde Fratres per ordinem cum candelis accensis, & ultimus Sacerdos, qui incedat habens velum sericum longum super scapulas, & humeros, portetque Corpus Domini ante pectus elevatum, cum omni reverentia, & timore: deferatur pallium super Corpus Domini, & Sacerdotem. Inter eundem dicat Psalm. Miserere mei Deus, alternatim, cum aliis Fratribus, vel in medio tono, vel secundum consuetudinem. Cumque per ventum fuerit ad locum, ubi jacet infirmus, Sacerdos ingressus cubiculum, dicat:

V. Pax huic domui.

R. Et omnibus habitantibus in ea.

Et

*Et reposito Calice, vel Pyxide, in quo est Eucharistia, in Altari præparato, in quo erunt Corporalia, & Cinx, genuflexit Sacramento, surgit, & mox accepta aqua benedicta, aspergit infirmum, & cubiculum, dicens Antiphonam:*

*Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor: & primum versum Psalm. Miserere mei Deus, cum Gloria Patri. Sicut erat, &c. & repetitur Aña. Deinde infirmus adoret, & deosculetur Crucem, dicens:*

*Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum. Postea facta de more confessione generali, sive ab infimo, sive ejus nomine ab alio, Sacerdos dicit: Misereatur, & Indulgentiam, &c. Et absoluere dicat hanc Orationem.*

**D**ominus noster Jesus Christus, qui dixit Discipulis suis: Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo; de quorum numero, quamvis indignos, nos esse voluit: ipse te absolvat per ministerium nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcumque cogitatione, locutione, operatione negligenter egisti: & à nexibus peccatorum absolutum perducere dignetur ad regna cœlorum: Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

*Deinde facta genuflexione, accipit Sacramentum de vaso, atque illud elevans, ostendit infirmo, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, & more solito ter dicat:*

*Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum;  
sed*

sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea. Et infirmus si nul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem semel, submissa voce; tunc Sacerdos dans infirmo Eucharistiam, dicat:

Accipe frater (soror) Viaticum Corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat in vitam æternam. Amen.

Si verò Communio non datur per modum Viatici, dicat more ordinario: Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam invitam æternam. Amen.

Postea abluit digitos, nihil dicens; & infirmo detur ablutio: deinde Sacerdos dicat:

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

### Oremus.

**D**omine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, fideliter deprecamur: ut accipienti fratri nostro (Iorori nostræ) lacrosanctum Corpus Domini nostri Iesu Christi Filii tui, tam corporis, quam animæ, prospicit ad remedium sempiternum. Amen.

His peractis, infirmus petat Sacramentum Extremae unctioris, si eum fortè necessitas cogat, & postea à Prælato habitum, brachas, & chordam, quibus corpus ejus operiatur, ut sepulturæ mandetur: quibus è Prælato concessis, Sacerdos genuflectit, accipitque Pyxidem Corporis Christi, & eodem ordine in Ecclesiam revertantur, quo venerunt, dicendo Hymnum: Te Deum laudamus, vel Laudate Dominum de cœlis. Veniens igitur Sacerdos ad Ecclesiam, ponit in medio

Altaris.

*Altaris Divinissimum Sacramentum, genuflectit, surgit, & ponit incensum in thuribulo, & incensat more solito. Interim à Fratribus genuflexis cantatur Ky. Tantum ergo Sacramentum, quo finito, duo Cantores dicant Ky. Panem de cœlo præsticisti eis. &c. Postea Sacerdos surgit, & dicat Orationes sequentes.*

*Oremus.*

**D**eus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti; tribue quæsumus, ita nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium: exaudi nos pro infirmo famulo tuo N. pro quo (pro infirma famula tua N. pro qua) misericordiæ tuæ imploramus auxilium: ut reddit a sibi sanitatem, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum. R<sup>e</sup>. Amen.

*Deinde cum Sacramento in Pyxide velo cooperta faciat signum Crucis super populum, nihil dicens. Postremò illud in sacrario reponat, & incensat, &c.*

## DE CÆREMONIIS Administrandi Sacramentum Extremæ unctionis.

*In primis pulsetur cymbalum, & congregatis Fratribus in sacro*

## De Sacramento

sacro abditerio, Sacerdos primum lotis manibus, præparatus cum amictu, superpelliceo, & stola violacei coloris, accipiat vas Olei positum in catino, & etiam patenam; totum hec cooperietur velo ferico violacei coloris, & precedens Acolythus cum aqua benedicta, & subsequens alter Acolythus deferens Crucem sine hasta, & Fratres ibunt per ordinem, portantes sex illorum candelas accensas, ultimusque Sacerdos videt dicens Psalmum Misere-re mei Deus, &c. alternatim cum Fratribus submissa voce.

Cunque pervenerint ad locum ubi jacet ægrotus, Sacerdos dicat:

**V.** Pax huic domui.

**R.** Et omnibus habitantibus in ea.

Et collatio vase sacri Olei super mensam, Sacerdos in midun Crucis aspergit ægrotum, & cubiculum aqua benedicta, di-cens Antiphonam: Asperges me Domine. **V.** Miserere mei Deus, & Gloria Patri, &c. & repetita Antiphona Asper-ges me, accedens juxta ægrotum stans, & aliis genuflexis dicat.

**V.** Adjutorium nostrum in nomine Domini.

**R.** Qui fecit coelum, & terram.

**V.** Dominus vobiscum.

**R.** Et cum spiritu tuo.

## Oremus.

**I**ntroeat, Domine Jesu Christe, dominum hanc sub nostræ humilitatis ingressu, æterna felicitas, divina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus dœmonum; ad-sint Angeli pacis, domumque hanc deferat omnis malig-na

na discordia. Magnifica , Domine , super nos nomen sanctum tuum; & benedic ☩ nostræ conversationi ; sanctifica nostræ humilitatis ingressum , qui sanctus , & pius es , & permanes cum Patre , & Spiritu sancto , in sæcula sæculorum. Amen.

*Oremus.*

**D**e precemur Dominum nostrum Jesum Christū, ut benedicendo benedicat ☩ hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo , & det eis Angelum bonum custodem, & faciat eos sibi servire ad considerandum mirabilia de lege sua : avertat ab eis omnes contrarias potestates : eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione , ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur: Qui cum Patre , & Spiritu sancto vivit , & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

*Oremus.*

**E**xaudi nos , Domine sancte , Pater omnipotens, æterne Deus : & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis , qui custodiat, foveat , protegat , visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Deinde immediatè infirmus dicat : Confiteor Deo, quo dico, omnes Sacerdotes eum absolvant insimul dicentes Misericordiam tui, & Indulgentiam, &c. Et Minister dicat sequentem absolutionem.*

# FORMULA ABSOLUTIONIS

PLENARIAE

Religiosis, Tertiariis sacerdotalibus, et Chor-  
digeris in extremis constitutis, vigore  
privilegiorum elargiendæ.

**D**ominus noster Iesu Christus per merita suæ sa-  
cratissimæ Passionis te absolvat, & gratiam suam  
tibi infundat; & ego auctoritate ipsius, ac beatorum A-  
postolorum Petri, & Pauli, & Summorum Pontificum,  
mihi in hac parte commissa, & tibi concessa, absolvo te  
ab omni vinculo excōmunicationis maioris, vel minoris,  
si quod incurristi, & restituo te unioni, & participationi  
Fidelium, nec non sanctis Sacramentis Ecclesiæ. Item  
eadem auctoritate, quatenus ad præsens forum spectat,  
ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis; tibique relaxo  
omnes poenas Purgatorii, quas pro peccatis commissis  
meruisti, concedens tibi remissionem, & Indulgentiam  
plenariam omnium peccatorum tuorum, & restituo te  
illi statui innocentiae, in quo eras, quando baptizatus (a)  
fuisti. In nomine Patris, † & Filii, & Spiritus sancti.  
Amen.

**Q**uod si hac vice non discesseris, reservo tibi gratiam  
usque ad extremum mortis tuæ articulum.

**Q**uia verò nonnulli Sunni Pontifices Indulgentiam plenariam  
prædictis personis, in articulo mortis constitutis, benignè conces-  
serunt,

serunt, sine ulla dependentia ab electione Confessarii, qui talem Indulgentiam, nomine Pontificum, impertiatur; ideo ad majus spirituale solatum, non tamquam necessaria, sed ut valde proficia, subjungenda est sequens deprecatio, cui, in extremis labo- rans, devote correspondeat, Nomen Sanctissimum IESU cre, vel corde enixe invocando.

**D**ominus noster Jesus Christus Filius Dei, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, & remittat tibi omnia peccata quæcumque, & quomodocumque in toto vitæ decursu com misisti; de quibus corde contritus, & ore confessus es, restituens tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti. Et per Indulgentiam plenariam à summis Pontificibus nostratis in articulo mortis constitutis, concessam, liberet te à præsentis, ac futuræ vitæ pœnis; dignetur Purgatorii cruciatus remittere, portas Inferi claudere, Paradisi januam aperire, teque ad gaudia sempiterna perducere, per sacratissima suæ vitæ, Passionis, & glorificationis mysteria. Qui cum Patre, & Spiritu sancto Deus unus vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Postea Fratres orant recitantes septem Psalms Tænitentiales, sicut in Breviario continentur, & Sacerdos dicat abscluere operationem sequentem.

**I**n nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, extinguitur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, & per invocationem omnium lan-  
ctorum

ctorum Angelorum , Archangelorum , Patriarcharum,  
Prophetarum , Martyrum , Confessorum , Virginum,  
atque omnium simul Sanctorum. Amen.

Deinde intineto pollice in Oleo sancto in modum Crucis, ungit  
infra non in partibus hic subscriptis , aptando proprio loco verba  
formæ in hunc modum.

Primum ad oculos.

Per istam sanctam Unctionem,  $\text{X}$  & suam piissimam  
misericordiam , indulgeat tibi Dominus quidquid per  
visum deliquisti. Amen.

Et alius Sacerdos stans juxta illum super pelliceo indutus,  
tergat loca inuncta camstappa, reponens eas in catino. &c.

Ad aures.

Per istam sanctam Unctionem,  $\text{X}$  & suam piissimam  
misericordiam , indulgeat tibi Dominus quidquid per  
auditum deliquisti. Amen.

Ad nares.

Per istam sanctam Unctionem,  $\text{X}$  & suam piissimam  
misericordiam , indulgeat tibi Dominus quidquid per  
odoratum deliquisti. Amen.

Ad os , compressis labiis.

Per istam sanctam Unctionem,  $\text{X}$  & suam piissimam  
miseri-

misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per gustum, & locutionem deliquisti. Amen.

*Ad manus.*

Per istam sanctam Unctionem,  $\text{X}$  & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per tactum deliquisti. Amen.

*Et adverte, quod Sacerdotibus manus non unguntur interiorius, sed exterius.*

*Ad pedes.*

Per istam sanctam Unctionem,  $\text{X}$  & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per gressum deliquisti. Amen.

*Ad lumbos.*

Per istam sanctam Unctionem,  $\text{X}$  & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per lumborum delectationem deliquisti. Amen.

*Hæc autem unctione ad lumbos omittitur semper in feminis, etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut sine periculo moveri non possunt. Sed siue in mulieribus, siue in viris alia corporis pars pro lumbis ungi non debet. Et si infirmus fuerit in tali agonie, quod ante unctiones predictas timeatur de morte ejus: hoc modo sunt abbreviandæ, quod facta confessione, et absolutione, si per tempus licuerit (vel ea omittendo) ungit omnes predictas partes ab una ad aliam discurrendo, interim dicens:*

*Per*

Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per vi<sup>+</sup>sum, per audi<sup>+</sup>tum, per odo<sup>+</sup>ratum, per gu<sup>+</sup>stum, per ta<sup>+</sup>ctum, per incel<sup>+</sup>sum, per ardorem<sup>+</sup> libidinis. Amen.

*Si autem infirmus adhuc vixerit, tunc Sacerdos cætera omnia, quæ pætermisit, exequatur. Quibus peractis, Sacerdos flexis genibus dicat sequentes Litanias, cui omnes, qui aderunt, etiam genuflexi respondeant.*

**K**Yrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Sancta Maria,

Ora pro eo.

Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate pro eo.

Sancte Abel,

ora.

Omnis chorus Justorum,

orate.

Sancte Abraham,

ora.

Sancte Joannes Baptista,

ora.

Sancte Joseph,

ora.

Omnes sancti Patriarchæ, & Prophetæ,

orate.

Sancte Petre,

ora.

Sancte Paule,

ora.

Sancte Andrea,

ora.

Sancte Joannes,

ora.

Omnes sancti Apostoli, & Euangelistæ,

orate.

Omnes sancti Discipuli Domini,

orate.

Omnes sancti Innocentes,

orate.

San-

Sancte Stephane,	ora.
Sancte Laurenti,	ora.
Omnes sancti Martyres,	orate.
Sancte Silvester,	ora.
Sancte Augustine,	ora.
Omnes sancti Pontifices, & Confessores,	orate.
Sancte Benedicte,	ora.
Sancte Pater Francisce,	ora.
Omnes sancti Monachi, & Eremitæ;	orate.
Sancta Maria Magdalena,	ora.
Sancta Lucia,	ora.
Omnes sanctæ Virgines, & Viduæ,	orate.
Omnes sancti, & sanctæ Dei,	intercedite pro eo.
Propitius esto,	parce ei Domine.
Propitius esto,	libera eum Domine.
Propitius esto,	libera.
Ab ira tua,	libera.
A periculo mortis,	libera.
A mala morte,	libera.
A pœnis inferni;	libera.
Ab omni malo,	libera.
A potestate Diaboli,	libera.
Per Nativitatem tuam;	libera.
Per Crucem, & Passionem tuam,	libera.
Per Mortem, & sepulturam tuam;	libera.
Per gloriosam Resurrectionem tuam;	libera.
Per admirabilem Ascensionem tuam,	libera.
Per gratiam Spiritus sancti Paracliti,	libera.

In die Judicii ,  
Peccatores ,  
Ut ei parcas ,  
Kyrie eleison , Christe eleison , Kyrie eleison .  
Pater noster .

libera ?  
Te rogamus audi nos .  
Te rogamus audi nos .  
Kyrie eleison .

- V. Et ne nos inducas in temptationem.
- R. Sed libera nos à malo.
- V. Salvum (am) fac servum tuum ( ancillam tuam )  
Domine .
- R. Deus meus sperantem in te .
- V. Mitte ei Domine auxilium de sancto .
- R. Et de Sion tuere eum . ( am )
- V. Esto ei Domine turris fortitudinis .
- R. A facie inimici .
- V. Nihil proficiat inimicus in eo . ( a )
- R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei .
- V. Domine exaudi orationem meam .
- R. Et clamor meus ad te veniat .
- V. Dominus vobiscum .
- R. Et cum spiritu tuo .

*Oremus.*

**D**omine Deus , qui per Apostolum tuum Jacobum locutus es : Infirmatur quis in vobis ? inducat Presbyteros Ecclesiarum , & orent super eum , ungentes eum oleo sancto in nomine Dñi : & oratio fidei salvabit infirmum , & alleviabit eum Dominus : & si in peccatis sit , dimittentur ei : cura , quæsumus Domine Redemptor noster , gratia Spiritu

Spiritus sancti languores istius infirmi , ( infirmæ ) & sua  
sanæ vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cun-  
ctos cordis, & corporis ab eo (a) expelle, plenamque ei  
interius, exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut  
ope misericordiæ tuæ restitutus (a) ad pristina reperetur  
officia. Qui cum Patre, & eodem Spiritu sancto vivis, &  
regnas in æcula sæculorum. Rx. Amen.

*Oremus.*

**R**espice quæsumus Domine famulum tuum (famu-  
lam tuam) N. in infirmitate sui corporis laboran-  
tem, & animam refove, quam creasti, ut piis castigatio-  
nibus emendatus(a)tentiat se tua medicina salvatum(am)  
Per Christum Dominum nostrum. Rx. Amen.

*Oremus.*

**D**omine sancte Pater omnipotens, æterne Deus,  
qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo  
corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis:  
ad invocationem nominis tui benignus assiste, ut famu-  
lum tuum (famulam tuam) N. ab ægritudine liberatum,  
(am) & sanitate donatum (am) dextera tua erigas, virtu-  
te confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiæ tuæ, san-  
ctisque altaribus tuis cum omni desiderata prosperitate  
restituas. Per Christum Dominum nostrum. Rx. Amen.

**D**ominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat:  
intra te sit, ut te reficiat: circa te sit, ut te conser-  
vet: ante te sit, ut te deducat: post te sit, ut te custodiat:  
super te sit, ut te benedicat: Qui in Trinitate perfecta  
vivit, & regnat in saecula saeculorum. R. Amen.

*His peractis, revertuntur ad sacrum apoditerium ordine, quo  
venerunt: & stuppæ projiciuntur in ignem, cineresque cum mi-  
cis panis conjicientur in voragine.*

# MISSA VOTIVA

Ad postulandā gratiam benè moriendi.

Sacra Rituum Congregatio anno Domini M. DCC. VI. ap-  
probavit Missam votivam nuncupatam Missa ad postulan-  
dam gratiam benè moriendi. Et facta relatione Sanctissimo  
D. N. P. Clementi XI. die 27. Martii ejusdem anni, concessit,  
ut celebrari posset per totam Ecclesiam, & poneretur in Missali  
Romano post Missam votivam pro Remissione peccatorum,  
cum colore paramentorum violaceo; & ejus cantus, ut dici solet  
in Missa Feriae Quartæ post Dominicam primam Quadragesimæ.

Postquam infirmus sumpserit Sacramentum Extremæ-un-  
ctionis, statim cantari debet hæc Missa pro opportunitate tempo-  
ris, more votivo cum tribus Orationibus: & illi assistant omnes  
Religiosi, ut eorum Orationibus consequatur infirmus felicem,  
& præoptatam mortem.

INTROITUS.

I



L lu mi na o cu los me os,

ne umquam ob dor miam in mor

te, ne quan do di cat i ni mi cus me

us: Pra va lu i ad ver sus e um.

*Psalm. Usque quò Do mi ne o bli vi ce ris*

me in fi nem: Us que quò a ver tis fa

ciem



ci em tu am à me? ¶. Glo- ri- a.

Oremus.

**O**nipotens, & misericors Deus, qui humano generi, & salutis remedia, & vitæ æternæ munera conculisti: respice propitius nos famulos tuos, & animas refove, quas creasti, ut in hora exitus earum, absque peccati macula tibi Creatori suo per manus Sanctorum Angelorum repræsentari mereamur. Per Dñm nostrum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Romanos. 14.b.

**F**ratres: Nemo nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur. Tu autem quid judicas fratrem tuum? Aut tu quare spenis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante Tribunal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectitur omne genu: & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

Graduale.

**S**i ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu tecum es, Domine. ¶. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.

Alleluia:

A

L le lu ia. Rep. Alleluia.

¶. In te Do mi ne spe ra vi, non confundar in

æ ter num, in ju sti ti a tu a li be-

ra me, & e ri pe me. Incli na ad me

au rem tu am, ac ce le ra ut e ri-

pi as me. Repet. Alleluia.

Post

Post Septuagesimā, omisso Alleluia, & versu sequenti, dicitur Tractus.

D

E ne- cef- si- ta ti- bus

me- is e- ri- pe me Do.

mi- ne. Vi- de hu- mi- li- ta- tem

me- ba am, & la bo- rem me- um;

& di- mit te om- ni a pec- ca ta me-

a. ¶ Ad te Do- mi ne,

le⁹avi

*ad postulandam gratiam benè moriendi.*

31

le- va- vi a- ni mam me am : De- us

me- us in te con fi- do ,

non e ru bes- cam : ne que ir- ri deant

me i ni mi- ci me- i. ¶. Et-

e- nim u- ni- ver- si, qui te

ex pe- ctant, non confunden- tur :

confundan tur om- nes fa- ci- en-




tes va-

na,

*Tempore Paschali omittitur Graduale, & ejus loco dicitur:  
Alleluia, Alleluia. ¶ In exitu Israel de Aegypto, domus  
Jacob de populo barbaro.*


A

L le lu ia.



¶. Paratum cor me um De us,

pa ra tum cor me um : can ta bo, &



psallam ti bi glo ri a me a. Rep. Alleluia.

Se:

Sequentia sancti Euangelii secundum Lucam. 21. g.

**I**n illo tempore dixit Jesus Discipulis suis: Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

*Offertorium.*

**I**n te spe- ra- vi Do- mi ne: di-  
xi , Tu es De- us me- us: in ma-  
nibus tu- is tem- po- ra me- a.

*Secreta.*

**S**uscipe, quæsumus Domine, hostiam, quam tibi offerimus pro extremo vitæ nostræ: & concede, ut per eam universa nostra purgentur delicia; ut qui træ  
e ij dispositi-

dilpositionis flagellis in hac vita atterimur, in futura re-  
quiem consequamur æternam. Per Dominum nostrum  
Iesum Christum.

*Communio.*

**D**

O. mi ne, me mo ra bor ju-

sti- ti æ tu- æ so- li us: De us, do-

cu i. sti me à ju ven tu te me a, &

uf- que in se- ne- etam, & se- ni um,

De us, ne- de re lin- quas me.

*Post-*

*Postcommunio.*

**Q**UÆSUMUS clementiam tuam , c̄mni potens Deus,  
ut per hujus virtutem Sacramenti nos famulos tuos  
gratia tua confirmare digneris : ut in hora mortis no-  
stræ non prævaleat contra nos adversarius , sed cum An-  
gelis tuis transitum habere mereamur ad vitam . Per Do-  
minum nostrum Jesum Christum .

**MODUS JUVANDI MORIENTES.**

*Post commendationem anime infirmi , congregabuntur Fratres  
in ejus cubiculo, & cantabunt Credo modulata voce in tono Do-  
minicali , quo finito , unus ex Sacerdotibus canet sequentem Eu-  
angelium votè , placidè , & blanditer .*

**V.** Dominus vobiscum.

**R.** Et cum spiritu tuo.

**V.** Sequentia sancti Euangelii secundum Joannem.

**R.** Gloria tibi Domine.

**A**NTE diem festum Paschæ , sciens Jesus quia venit hora ejus , ut transiret ex hoc mundo ad Patrem : cū dilexisset suos , qui erant in mundo , in finem dilexit eos . Et cœna facta , cūm diabolus jam misisset in cor , ut tra- deret eum Judas Simonis Iscariotæ : sciens quia omni de- dit ei Pater in manus , & quia à Deo exivit , & ad Deum vadit : surgit à cœna , & ponit vestimenta sua : & cūm ac- cepisset linteum , præcinxit se . Deinde mittit aquam in pelvim ,

pelvim , & cœpit lavare pedes Discipulorum , & extergerre linteo , quo erat præcinctus . Venit ergo ad Simonem Petrum . Et dicit ei Petrus : Dñe , tu mihi lavas pedes ? Respondit Iesus , & dixit ei : Quod ego facio , tu nescis modò , scies autem posteà . Dicit ei Petrus : Non lavabis mihi pedes in æternum . Respondit ei Iesus : Si non lavero te , non habebis partem mecum . Dicit ei Simon Petrus : Dñe non tantù m pedes meos , sed & manus , & caput . Dicit ei Iesus : Qui lotus est , non indiget nisi ut pedes lavet , sed est mundus totus . Et vos mundi estis , sed non omnes . Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum : proptereà dixit : Non estis mundi omnes . Postquam ergo lavit pedes eorum , & accepit vestimenta sua ; cùm recubuisse iterum , dixit eis : Scitis quid fecerim vobis ? Vos vocatis me Magister , & Domine ; & benedicitis : sum etenim . Si ergo ego lavi pedes vestros , Dominus , & Magister : & vos debetis alter alterius lavare pedes . Exemplum enim dedi vobis , ut quemadmodum ego feci vobis , ita & vos faciatis .

*Deinde eodem modo cantabitur Hymn. O Gloriola Virginum , &c.*

*Postea dicitur sequens Litania , flexis genibus , in tono funebri , & deprecativo .*

# LITANIÆ BEATÆ MARIAE VIRGINIS.

<b>K</b> Yrie eleison.	
Christe eleison.	
Kyrie eleison.	
Christe audi nos.	
Christe exaudi nos.	
Pater de cœlis Deus ,	Miserere ei.
Fili Redemptor mundi Deus,	miserere ei.
Spiritus sancte Deus ,	miserere ei.
Sancta Trinitas unus Deus,	miserere ei.
Sancta M A R I A ,	Ora pro eo.
Sancta Dei Genitrix ,	ora pro eo.
Sancta Virgo Virginum ,	ora pro eo.
Mater Christi ,	ora pro eo.
Mater Divinæ gratiæ ,	ora pro eo.
Mater Purissima ,	ora pro eo.
Mater Castissima ,	ora pro eo.
Mater Inviolata ,	ora pro eo.
Mater Intemerata ,	ora pro eo.
Mater Amabilis ,	ora pro eo.
Mater Admirabilis ,	ora pro eo.
Mater Creatoris ,	ora pro eo.
Mater Salvatoris ,	ora pro eo.
Virgo Prudentissima ,	ora pro eo.
	Virgo

<i>Virgo Veneranda ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Virgo Prædicanda ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Virgo Potens ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Virgo Clemens ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Virgo Fidelis ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Speculum justitiae ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Sedes sapientiae ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Causa nostræ lætitiae ,</i>	<i>oaa pro eo.</i>
<i>Vas spirituale ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Vas honorabile ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Vas insigne devotionis ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Rosa Mystica ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Turris Davidica ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Turris eburnea ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Domus aurea ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Fœderis arca ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Janua cœli,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Stella matutina ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Salus infirmorum ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Refugium peccatorum ;</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Consolatrix afflitorum ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Auxilium Christianorum ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Regina Angelorum ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Regina Patriarcharum ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Regina Prophetarum ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Regina Apostolorum ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Regina Martyrum ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
<i>Regina Confessorum ,</i>	<i>ora pro eo.</i>
	<i>Regina</i>

Regina Virginum , ora pro eo.  
Regina sanctorum omnium, ora pro eo.  
Immaculata Regina, & Mater Fratrum Mino-  
rum , ora pro eo.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce ei Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi eum Dñe.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere ei.

℣. Ora pro eo Sancta Dei Genitrix.

℣. Ut dignus efficiatur promissionibus Christi.

*Oremus.*

**S**uccurre, Domina piissima, & Sanctissima semper Virgo Maria, huic famulo tuo fratri nostro N. (famulæ tuæ) in omnibus necessitatibus ejus semper, & ubique, in præsentibus angustiis, & tribulationibus suis, in transitu animæ ejus à corpore, & cōverte tribulationem animæ ejus, & adjuva eum (am)ò misericordissima Domina, & libera illum (am) à Principe tenebrarum, & à nequitiis, & terroribus ejus, & concede ei, ò purissima Virgo, ut bonum finem, & perseverantiam sanctam consequi mereatur. Deprecare benignissimum Filium tuum, verum Deum, & verum hominem, ut ipse suscipiat animam ejus in pace, qui ex te suscepit carnem suam immaculatam, & sanctissimam sine virili commixtione, Jesus Christus Dominus noster: Qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat in saecula saeculorum. Amen.


*Si ægrotus erit jam expirans, cantabuntur per duo Cantores alternatim cum Fratribus versus: Miserere mei Deus, &c. ut*

infrà ponitur. Si verò anima adhuc laboraverit, semovebuntur  
 Fratres, & Prælatus assignabit quatuor ex illis, ut assistant æ-  
 grotum, qui adjuvabunt eum cum Psalmis, & de votis Oratio-  
 nibus, &c. Vide Cærimoniale Provincie. Et cum verò tempus  
 expirandi institerit, decantabuntur sequentes versus quanta ma-  
 jori devotione potuerint, & placidè.

Duo Cantores dicent.



¶. Mi se re re me i De- us, secundùm magnam



mi se ri cor di am tu- am.



Totus Chorus respondet. O Jesu Jesu Je- su.



Duo Cantores. ¶. In te Domine spe ra- vi, non con-



fundar in æ ter- num.

Totus

*Modus juvāndi mōrientes.*

41

*Totus Chorus repetit O Jesu Jesu Jesu.*



¶. Deus in ad ju to ri um me um in ten-de,



Do mi ne ad ad juvandum me fe sti na.

*Totus Chorus repetit O Jesu Jesu Jesu.*



¶. Esto mihi Do mi ne in Deum protecto rem.

*Totus Chorus repetit O Jesu Jesu Jesu.*



¶. Deus propi ti us e sto mi hi pecca to ri.

*Totus Chorus repetit O Jesu Jesu Jesu.*



¶. In manus tuas Do mi ne cōmendo spiri tū me um.

fij

*Totus*

*Totus Chorus repetit O Jesu Jesu Jesu.*



¶. Domine Je su Chri ste susci pe spiritum me um.

*Totus Chorus repetit O Jesu Jesu Jesu.*



¶. Sancta Mari a o ra pro me.

*Totus Chorus repetit O Jesu Jesu Jesu.*



¶. Ma ri a ma ter gra ti æ, mater mi se ricor-



di æ, tu me ab hoste protege, & hora mortis su scipe.

*Totus Chorus repetit O Jesu Jesu Jesu.*




¶. Sancte An ge le De i, mihi custos assi ste.

*Totus*

*Totus Chorus repetit O Jesu Jesu Jesu.*



*¶. Omnes sancti Angeli, & omnes Sancti in-*



*terce di- te pro me, & mihi suc cur- ri te.*

*Totus Chorus repetit O Jesu Jesu Jesu.*




*Deinde Catores dicant etiam : O Je su Je su Je su.*

*Totus Chorus respondet O Jesu Jesu Jesu.*

*Egressa autem anima de corpore , dicatur hec Responsorium.*



*Ub ve- ni te sancti De- i,*



*oc- cur- ri te Angeli Do-*

*mini:*

mi ni: \* Susci pi en- tes animam e- jus.

\* Offe- rentes e- am in cons pe- etu Al-

tif- si mi. v. Su sci- pi- at

te Chri- stus, qui vo- ca- vit te:

& in finum A- bra hæ An- ge- li de-

du- cant te. \* Sul ci- pi en- tes.

v. Re- qui em æ- ter- nam do-

sinig

na

na e i Do mine, & lux per pe-

tu a lu ce at e i. \* Offe ren tes.

Ky ri e e leison, Christe eleison, Ky ri e e-

lei son.

Pater noster , secretò.

V. Et ne nos inducas in temptationem.

R. Sed libera nos à malo.

V. Requiem æternam dona ei Domine.

R. Et lux perpetua luceat ei.

V. A porta inferi.

R. Erue Domine animam ejus.

V. Requiescat in pace.

R. Amen.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Do-

**V.** Dominus vobiscum.

**R.** Et cum spiritu tuo.

## Oremus.

**T**ibi Domine commendamus animam famuli tui Fratris nostri N. ut defunctus (famulæ tuæ sororis nostræ ut defuncta) sœculo tibi vivat: & quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commisit, tu veniam misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Corpora defunctorum in Oratoriis, vel in quocumque loco, vel in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus Altare, Presbyteri vero habeant caput versus Altare.*

## ORDO


## Ad sepeliendum Fratrem, vel Monialem.

*Constituto tempore, tunc Fratres, facto signo cum Cymbalo, congregantur in Sacristia, indè procedent processionaliter hoc modo: Præcedit Acolythus cum vase aquæ benedictæ, & alter cum thuribulo, sequitur Subdiaconus cum Cruce inter duos Acolythos cum candelabris accensis; deinde Fratres per ordinem: ultimo Sacerdos cum Diacono à sinistra portante Manuale. Cum ventum fuerit ad locum ubi adest corpus, Subdiaconus cum Ceroferariis sistit ad caput feretri cum Cruce, & Sacerdos cum Diacono ad pedes, & alii omnes stantes circa feretrum, statim unus Cantor incipit.*

Kyrie



Ky- ri- e e- lei son , Chri- ste e-



lei- son, Ky ri e e- lei- son.

*Dum cantatur Kyrie eleison, Sacerdos ponit incensum in thuribulo, benedicens illud more solito: deinde dicat Pater noster, quod secretè complendo, ministrante Diacono aspersorium, sine osculo manus, ter aspergit corpus; & redditio aspersorio, incensat eodem modo, quo aspersit, &c.*

- ¶. Et ne nos inducas in temptationem.
- ¶. Sed libera nos à malo.
- ¶. In memoria æterna erit justus.
- ¶. Ab auditione mala non timebit.
- ¶. Ne tradas bestiis animam confitentem tibi.
- ¶. Et animam pauperis tui (æ) ne obliviscaris in finem.
- ¶. Non intres in judicium cum servò tuo (ancilla tua) Domine.
- ¶. Quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.
- ¶. A porta inferi.
- ¶. Erue Domine animam ejus.

- ¶. Requiecat in pace.  
 Rx. Amen.  
 ¶. Domine exaudi orationem meam.  
 Rx. Et clamor meus ad te veniat.  
 ¶. Dominus vobiscum.  
 Rx. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

**S**uscipe Domine animam famuli tui Fratris nostri N.(ancillæ tuæ sororis nostræ N.)quam de ergastulo hujus sæculi vocare dignatus es : & libera eam de locis pœnarum , ut quietis , ac lucis æternæ beatitudine perfruatur , & inter Sanctos , & electos tuos , in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Rx. Amen.


*Deinde Fratres vadunt ordinatè cum candelis accensis portantes corpus in Ecclesiam : & duo Cantores incipiunt Antiphonam.*

**S**ub ve ni te sancti De i,  
 oc cur ri te An ge li Do mi ni:  
 suscipi-






sus ci pi en tes a- nimam e- jus : offe-




ren- tes e- am in conspe- ctu Al- tis-



si mi. ¶ Mi se re- re me- i De- us,



secundūm magnam misē ri cor di am tu- am.



**Sub ve ni- te.**

*Quæ Antiph. per singulos Psalm. versus repetitur usque ad depositionem feretri in Ecclesiam. Ubi deposito corpore, si fuerit Vespere, statim fiat Officium sepulturæ solemniter, & Officium novem lectionum reservetur in sequentem diem sub Officio duplice ij cum*

*Ordo ad sepeliendum Fratrem;*  
*cum Laudibus, & Missa, &c. Si vero fuerit manè, & tempus op-*  
*portunum fuerit, cantetur Officium defunctorum novem lectionum*  
*duplex, & in principio Laudum Celebrans cum Ministris Sacri-*  
*stiam ingrediuntur, ibique induiti more solito: & dum cantatur*  
*in Choro Psalm. Laudate Dominum in sanctis ejus, proce-*  
*dent ad pedes feretri, & dicto versu: Audivi vocem de cœlo,*  
*dicit Sacerdos Antiph. Ego sum, & repetita post Canticum*  
*Benedictus, dicat alta voce: Pater noster, interim aspergat de-*  
*functi corpus, sine incenso: quibus finitis dicat, ¶. Et ne nos*  
*inducas &c. ¶. A porta inferi. ¶. Requiescat in pace. ¶.*  
*Domine exaudi. ¶. Dominus vobiscum. Et si fuerit Sas-*  
*cerdos, dicitur hæc Oratio.*

*Oremus.*

**D**eus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulum  
 tuū N. Sacerdotali fecisti dignitate vigere: præsta  
 quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur con-  
 fortio. Per Dominum nostrum, &c.

*Si non fuerit Sacerdos, dicitur hæc Oratio sequens.*

**D**eus, cui proprium est misereri semper, & parce-  
 re, te supplices exoramus pro anima famuli tui  
 N. (famulæ tux N.) quam de hoc sæculo migrare jussisti:  
 ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris  
 in finem, sed jubeas eam à sanctis Angelis suscipi, & ad  
 patriam paradisi perduci: ut quia in te speravit, & cre-  
 didit, non poenas inferni sustineat, sed gaudia æterna  
 possideat. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

¶. Re-

**V. Requiem æternam dona ei Domine.**

Dum Cantores incipiunt Requiescat in pace. Sacerdos vadit ad Altare cum Ministris, & deposito Pluviali, acceptoque manipulo, & casula, Officium Missæ prosequatur, &c.



**V. Requiescat in pa- ce. R. Amen.**

Finita Missa, Sacerdos, deposita casula, seu planeta, & manipulo, accipit Pluviale nigri coloris; & Subdiaconus accipit Crucem, & accedit ad feretrum, & se sistit ad caput defuncti cum Cruce, medius inter duos Acolythos, seu Ceroferarios cum candelabris, & candelis accensis: & omnes alii Fratres veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis, & stant in circuitu feretri: tunc sequitur Sacerdos cum Diacono, & Assistente, aliisque Ministris, & facta reverentia Altari, sistit se contra Crucem ad pedes defuncti, retro astantibus ei à sinistris duobus Acolythis, uno cum thuribulo, & navicula incensi, altero cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio, & Diacono tenente librum, absolvit dicit sequentem Orationem sine Oremus.

**N**on intres in judicium cum servo tuo (ancilla tua) Domine, quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Nō ergo eum (am) quæsumus tua judicialis sententia premat: quem (am) tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat; sed gratia tua illi succurrente, mereatur evadere iudicium

52. *Ordo ad sepeliendum Fratrem;*  
dicium ultionis, qui (æ) dum viveret insignitus (a) est si-  
gnaculo Sanctæ Trinitatis. *Qui vivis, & regnas in sœcu-  
la sœculorum. Rx. Amen.*

*Finita Oratione, cantatur à Choro Rx. Subvenite sancti Dei,  
&c. ut suprà fol. 43. Et circa illius finem Celebrans ponit incen-  
sum in thuribulo, benedicens illud more solito, Diacono naviculam  
ministrante: & finito Kyrie eleison, incipit intelligibili voce,  
Pater noster, & secretò prosequendo reliqua, accipit aspergitorium  
de manu Diaconi absque osculo manus, & facta Altari reverentia,  
seu Sacramento genuflexione, à Diacono vero facta genuflexione,  
sive Altari, sive Sacramento, cmitante eodem Diacono à dextris,  
& tenente fimbriam anteriorem Pluvialis, circuiens feretrum, as-  
pergit illud aqua benedicta, ter à parte dextera, & ter à sinistra.  
Cùm transit ante Crucem, profundè inclinat, Diaconus vero ge-  
nusflectit; postea de manu ejusdem Diaconi accipit thuribulum, &  
eodem modo quo aspergerat, incensat, & rediens ad pristinum  
locum, Diacono librum tenente, junctis manibus dicit:*

*V. Et ne nos inducas in temptationem.*

*Rx. Sed libera nos à malo.*

*V. Dominus vobiscum.*

*Rx. Et cum spiritu tuo.*

*Oremus.*

**D**eus, cui omnia vivunt, & cui non pereunt mori-  
endo corpora nostra, sed mutantur in melius: te  
suplices deprecamur, ut suscipi jubeas animam famuli-  
tui N. (familia tuæ) per manus sanctorum Angelorum  
deducendam in signum amici tui Abrahæ Patriarchæ, refus-  
citandamque

citandumque in novissimo judicii magni die; & quidquid  
vitiorum fallente diabolo contraxit , tu pius , & miseri-  
cors abluas indulgendo. Per Christum Dominum no-  
strum. R. Amen.

*Finita Oratione, cantatur à Choro Responsum, Ne re-  
cor-  
deris, in quo, & in sequenti Responso, Sacerdos benedicit  
incensum, aspergit, & incensat, ut supra, &c. Postea dicat  
Pater noster.*

V. Et ne nos inducas in temptationem.

R. Sed libera nos à malo.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

**F**ac quæsumus Domine , hanc cum servo tuo N.  
defuncto ( famula tua N. defuncta) misericordiam,  
ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui (x)  
tuam in votis tenuit voluntatem ; ut sicut hic eum (am)  
vera fides junxit fidelium turmis , ita illic eum (am) tua  
miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dñm no-  
strum. R. Amen.

*Finita Oratione, cantatur à Choro Responsum, Libera  
me Domine de viis inferni, quo finito, Sacerdos dicat, Pater  
noster.*

V. Et ne nos inducas in temptationem.

R. Sed libera nos à malo.

V. A porta inferi.

R. Erue Domine animam ejus.

V. Requi-

**V.** Requiescat in pace.

**R.** Amen.

**V.** Domine exaudi orationem meam.

**R.** Et clamor meus ad te veniat.

**V.** Dominum vobis cum.

**R.** Et cum spiritu tuo.

*Oremus.*

**A**bsolve quæsumus Domine animam famuli tui,  
Fratris nostri N. (ancillæ tuæ sororis nostræ N.)  
ut defunctus (a) sæculo tibi vivat; & peccata, quæ per  
fragilitatem carnis, humana conversatione commisit, tu  
venia misericordiosissimæ pietatis absterge. Per Christū  
Dominum nostrum. **R.** Amen.

*Finita hac Oratione, portatur corpus ad sepulchrum, & va-  
dant processionaliter cum candelis accensis in manibus; Subdiaco-  
nus elevat Crucem inter duos Acolythos, & dum portatur, Can-  
tores incipiunt subscriptæ Antiphonæ.*

**I**



N pa ra di sum de ducant te An ge-



li: in tu o ad ven tu sus ci pi ant te Mar-

tyres,

ty res, & perducant te in ci vi ta tem san-

**C**tam Je ru sa lem.

*Antiphona.*

**C**

Ho rus An ge lo rum te sus ci-

pi- at, & cum La za ro quondam paupere

æ ternam ha be as re- qui em.

*Appropinquante tumulo Capitulo, seu sepulchro, ponetur uni  
lateri illius, meliori modo, quo esse poterit, manente Cruce linea  
recta cum capite defuncti, & Sacerdos ponetur ad pedes cum Dia-  
cono manu sinistra, tenente libro, incipiet absolute cum manibus  
ante pectus sequentem Orationem sine Oremus.*

h


Deus,

**D**eus, qui fundasti terram, & formasti cœlos, qui loca sideribus stabilita fixisti, qui captivum laqueo mortis hominem lavacri ablutione reparasti, qui sepultos Abraham, Isaac, & Jacob in spelunca duplici, & in libro vitæ, atque gloriæ, annotasti benedicendos: ita bene + dicere digneris hunc tumulum famuli (æ) tui N. ut hic eum (am) requiescere facias, & in sinu Abrahæ, Isaac, & Jacob, collocare digneris; qui Dominum nostrum Jesum Christum, contritis laqueis inferorum resurge-re, suorumque in se credentium membra resuscitare voluisti. Respice Domine super hanc fabricam sepulturæ, descendat in eam Spiritus tuus sanctus: ut te jubente, sit in hoc loco famulo (æ) tuo (æ) quieta dormitio: & tempore judicii cum Sanctis tuis omnibus, vera resuscitatio, præstante eodem Domino nostro Iesu Christo: Qui tecum, & cum eodem Spiritu sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum. R. Amen.

*Dicta bac Oratione, aspergit corpus, & sepulchrum, & similiter incensat, &c. Dum dicuntur infra scriptæ Annæ, & Psalm. Sacerdos dicat juxta sepulturam Orationes, quæ habentur, ut infra, videlicet Orationem: Fratres charissimi, &c.*

*Antiphona.*

A



Pe- ri te mi- hi portas ju sti-  
tiz,

ti- æ, & in gressus in e- as con fi- te-

8

bor Do mi no.

Sæ cu lorum. Amen.

*Psalmus 117.*

**C**onfitemini Domino quoniam bonus: \* quoniam  
in sæculum misericordia ejus.

Dicat nunc Israel quoniam bonus: \* quoniam in sæcu-  
lum misericordia ejus.

Dicat nunc domus Aaron: \* quoniam in sæculum mi-  
sericordia ejus.

Dicant nunc qui timent Dominum: \* quoniam in sæ-  
culum misericordia ejus.

De tribulatione invocavi Dominum: \* & exaudivit  
me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adjutor: \* non timebo quid faciat mi-  
hi homo.

Dominus mihi adjutor: \* & ego despiciam inimicos  
meos.

Bonum est confidere in Domino, \* quam confidere  
in homine:

Bonum est sperare in Domino, \* quam sperare in  
principibus.

h ij

Omnes

Omnis Gentes circuierunt me: \* & in nomine Domini quia ulti sum in eos.

Circundantes circumdederunt me : \* & in nomine Domini quia ulti sum in eos.

Circumdederunt me sicut apes , & exarserunt sicut ignis in spinis: \* & in nomine Domini quia ulti sum in eos.

Impulsus eversus sum , ut caderem: \* & Dominus suscepit me.

Fortitudo mea , & laus mea Dominus : \* & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis, & salutis,\* in tabernaculis justorum.

Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me , \* dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar , sed vivam: \* & narrabo opera Domini.

Castigans castigavit me Dominus: \* & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas justitiae , ingressus in eas confitebor Domino : \* haec porta Dñi , justi intrabunt in eam.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me : \* & factus es mihi in salutem.

Lapidem , quem reprobaverunt ædificantes : \* hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud : \* & est mirabile in oculis nostris.

Haec est dies , quam fecit Dominus : \* exultemus , & lætemur in ea.

O Domine salvum me fac, o Domine benè prosperare : \* benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: \* Deus Dominus, & illuxit nobis.

Constituite diem solemnem in condensis, \* usque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: \* Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudisti me: \* & factus es mihi in salutem.

Confitemini Domino quoniam bonus: \* quoniam in seculum misericordia ejus.


Requiem æternam, &c.

*Antiphona.*

A



Pe- ri te mi- hi por tas ju sti-



ti æ, & in gressus in e- as confi te bor Domino.

*Antiphona.*

I



N- gre di ar in lo cum ta ber na cu-



li ad mi ra- bi lis us que ad domum De i.



Sæ cu lorum. Amen.

*Psalmus 4<sup>r</sup>.*

**Q**uemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : \* ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem , vivum: \* quando veniam , & apparebo ante faciem Dei ?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte : \* dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordatus sum, & effundi in me anima meam: \* quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis , usque ad domum Dei.

In voce exultationis , & confessionis, \* sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea ? \* & quare conturbas me ? Spera in Deo , quoniam adhuc confitebor illi : \* salutare vultus mei , & Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est : \* propterea memor ero tui de terra Jordanis , & Hermoniū à monte modico.

Abyssus abyssum invocat , \* in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua , & fluctus tui , \* super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam , \* & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vita mea : \* dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei ? \* & quare contristatus incedo, dum affigit me inimicus !

Dum confringuntur ossa mea : \* exprobraverunt mihi , qui tribulant me inimici mei.


Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus ? \* quare tristis es anima mea , & quare conturbas me?

Spera in Deo , quoniam adhuc confitebor illi : \* salutare vultus mei , & Deus meus.

Requiem æternam , &c.

*Antiphona.*

I



N- gre di ar in lo cum ta ber na cu-

I

li ad mi ra- bi lis us que ad domum De i.

*Antic.*

H

Æc re- qui es me a in sæ culum  
 sæ cu li , hic ha bi- ta bo, quoni am e legi  
 e am. Sæ cu lo rum. Amen.

*Hic extrahitur corpus à lectulo, & ponitur super terram.*

*Psalmus 131.*

**M**emento Domine David, \* & omnis mansuetudi-  
 nis ejus.

Sicut juravit Domino , \* votum vovit Deo Jacob.  
 Si introiero in tabernaculum domus meæ, \* si ascen-  
 dero in lectum strati mei.

Si dedero somnum oculis meis , \* & palpebris meis  
 dormitationem.

Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum  
 Domino , \* tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata : \* invenimus eam  
 in campis silvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus: \* adorabimus in  
 loco , ubi steterunt pedes ejus.

*Sur:*

Surge Domine in requiem tuam, \* tu, & arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur justitiam, \* & sancti tui exultent.

Propter David servum tuum, \* non avertas faciem Christi tui.

Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam : \* de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum, \* & testimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Et filii eorum usque in sæculum, \* sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion : \* elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi : \* hic habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam : \* pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari : \* & sancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David, \* paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione : \* super ipsum autem effloreat sanctificatio mea.

Requiem æternam, &c.

*Hic ponitur in fovea.*

Antiphona.

**H**

Æc re qui es me a in sæ- culum

sæ cu li, hic ha bi tabo, quo niam e le gi e am.

Antiphona.

**D**

E ter- ra for ma- sti me :car ne

in du- i- sti me Redéptor meus Do-

mi ne re sus- ci ta me in no vis si mo di e.

## Psalmus 128.

**D**omine probasti me, & cognovisti me: \* tu cognovisti lessionem meam, & resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longe: \* semitam meam, & funiculum meum investigasti.

Et omnes vias meas prævidisti: \* quia non est sermo in lingua mea.

Ecce Domine tu cognovisti omnia, novissima & antiqua: \* tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me: \* confortata est, & non potero ad eam.

Quo ibo à spiritu tuo: \* & quo à facie tua fugiam?

Si alcendero in cœlum, tu illic es: \* si descendero in infernum, ades.

Si sumperero pennas meas diluculo: \* & habitavero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me: \* & tenebit me dextera tua.

Et dixi: Forsitan tenebræ concubunt me: \* & nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: \* sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos: \* suscepisti me de utero matris meæ.

Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: \* mirabilia

*Ordo ad sepeliendum Fratrem ;  
rabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.*

Non est occultatum os meum à te , quod fecisti in oc-  
culto : \* & substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo  
omnes scribentur : \* dies formabuntur , & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus : \*  
nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: \*  
exurrexi , & adhuc sum tecum.

Si occideris Deus peccatores : \* viri sanguinum decli-  
nate à me.

Quia dicitis in cogitatione: \* accipient in vanitate civi-  
tates tuas.

Nonne qui oderunt te Domine , oderam , \* & super  
inimicos tuos tabescet?

Perfecto odio oderam illos: \* & inimici facti sunt mihi.


Proba me Deus , & scito cor meum : \* interroga me,  
& cognosce semitas meas.

Et vide , si via iniquitatis in me est : \* & deduc me in  
via æterna.

Requiem æternam , &c.

*Antiphona.*

**D**



E ter- ra for ma- sti me: carne  
indu-

in du i- sti me Redemptor meus Do-

mi ne re sus- ci ta me in no vis si modi e.

*Unus ex Fratribus operiatur corpus terra.*

*Antiphona.*

N

On in- tres in ju di- ci um

cum ser vo tu o Do mine , qui- a non ju sti fi-

ca bi tur in conspectu tu- o om nis vi vens.

Sæcu lor um. A men.

*Psalmus*

**D**omine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: \* exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: \* quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: \* humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: \* & anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: \* in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: \* anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: \* defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: \* & similis ero descenditibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: \* quia ni te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: \* quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: \* doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: \* propter nomen tuum Domine vivificabis me in aequitate tua.

Educes

Educes de tribulatione animam meam: \* & in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam : \* quoniam ego servus tuus sum.


Requiem æternam , &c.

*Antiphona.*


**N**



On in- tres in ju di- ci um




cum servo tu o Do mine, qui a non ju sti fi-




ca bi tur in conspectu tu- o om nis vi vens.

*Antiphona.*

**O**



M iser- co- ri- dia eius per manebit in eternum.



minum. Sæcu lorum. Amen.

*Psalmus*